





Q. D. B. V.

MARIS SER-  
VITUS,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE  
SCHURTZFLEISCH,

*Defensa*

FRANCISCO VASMERO,  
HAMBURGENSE,

In Auditorio Majori,

D. 18. Martii.

---

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.  
ANNO M DC XCV.

M. 27  
46.

M. 18

1695

2 1/2



MARIS SER.

VITUS

PRÆTICE

CONRADO SAMELLE

SCHURTELISCH

Dofes

FRANCISCO VASMERO

HAMBURGENSE

In Auditorio Majori

D. 18. Martii

WITTEBERGÆ

Typis Christiani Schnöckeri Acad. Typ.

ANNO M DC XCV



I.

**A**mplum Imperii nomen. Ad terram & mare ac insulas porrigitur. Flumina quoq; , & fluminum sinus & littora universa comprehendit.

II.

Ac jam vetera illius imperii exempla, nec controversiæ minores. Vindicatum sæpe mare, vindicata flumina, & uni attributa genti.

III.

Memorandi hic Africae, Asiae, Europæ populi. Notæ horum super imperio maritimo lites: Megarensum cum Atheniensibus, Persarum cum Europæis, Pœnorum cum utrisque, præcipue cum Romanis.

IV.

Nec dum vero talium disfidiorum finis. Stilo subinde & gladio hæc causa disceptatur. Sustinet Anglorum causam Seldenus, Batavorum H. Grotius, uterque scriptor suæ gentis. Vellem steteret pugna intra hos fines. Non tot jactatæ opes, non tantum sanguinis fuscum fuisset.

V.

Adeo verum est, suos mari positos esse terminos, positos esse fines imperiorum juxta atq; domi-

niorum. Ut existimem, jam constare causam, cur territorium non terræ solum, sed maris etiam ratione censeatur. Habet enim ambitum mare, habet limites suos. His includitur, his judicatur. Egredi intutum, violare quoq; injustum est. Supervacuum hic ire in exempla. Omnia ferme pervulgata. Afferit sibi Turca Hellespontium pelagus. Imperium mediterranei maris jam affectat. Afferit sibi Hispanus Tyrrhenum mare. Afferit Balthicum Danus. Britanni Britannicum, Veneti Adriaticum, Genuenses Ligusticum vindicant sibi.

#### VI.

Nec sinunt Lusitani, ut aliter sentiamus. Applaudit titulus, eoqve dignus est, qui scribatur in exemplum posteritatis. Sic enim jam olim, terror ille maris, & gloria, ut jaçtabatur, redeuntis aurei seculi. Emanuel Dei gratia Rex Portugalliæ, & Algarbiorum, citra ultraque mare in Africa, Dominus Gvineæ & Conqvistæ, navigationis ac commercii Æthiopiæ, Arabiæ & Persiæ, atq; Indiæ. P. Langius Chr. A. 1513.

#### VII.

Etiam Republicæ, quæ nexu quodam superiori cuidam illigantur, flumina, quibus alluuntur ipsæ, metiuntur hoc jure, vindicantq; sibi in ea quædam sive privilegii titulo, sive servitutis. Allego hic illud omnium sermone celebratum jus, quod vocant,

vocant, restringendi, quo liberæ Albis navigationi quasi injectum frænum est. Non allegabo jus appulsus, non privilegia, quæ appellant, germaniorum, certissima fluminum imperii æque ac domini jure censendorum argumenta. Nec refert, imperium simpliciter supremum sit, an nexu quodam beneficiario, & vinculo civili æstimatum. Possum recitare hic Coloniam Agrippinam, possem, si liberet, alias civitates multas.

### IIX.

Non vacat recitare omnia, neque explicare hic, quid & quantum quisque sigillatim tribuat sibi. Dicimus tamen acquiri posse mare, dicimus posse occupari, atque adeo his limitibus terminari, quos proprietas designat. Acquirendi autem illam occupandique facultatem arcesso à concessione juris Naturæ, ac præterea discerno imperium atque dominium maris. Ad verò non consentiens sibi utriusque vocis interpretatio occurrit. Sunt, qui satis habeant sic distinxisse, ut unum horum appellent jus in mare, alterum jus in mari. Nolim suscipere hanc causam, qui meminero, imperium sola dirigendi disponendique facultate, prout ea quidem in rebus morum se exerit, sustineri. Sed quis dabit, ut quod sub no-tione facultatis redditur juxtà atque concipitur, continuo iuris exquisita appellatione contineatur?

A 3

Diversa

Diverſa hæc ſunt, & ſuis quaſi ſpatiis diſparata,  
eoq; minime omnium confundenda. Impingit  
hic Theodorus Graſwinckelius, idq; non ſemel,  
& ea adeo ex cauſa jam doctiſſimis quoq; notatus.

X.

Age verò expediã, quid inter imperium  
ac dominium interſit. Strictim edifferam. Illud  
continetur poteſtate ferendi leges, atque abſolvi-  
tur adeo facultate regendæ navigationis, qua pa-  
tet juridiçtio maris. Hoc cenſetur quaſi notio-  
ne partis, eoq; implet vicem instrumenti civilis.  
Non attinet referre de modo conſiderandi admo-  
dum diſpari. Et jam tum per ſe conſtat, non  
eandem eſſe utriuſq; acquirendi facilitatem. Eſto  
Siſenna. Acquiſiverit imperium maris. Multum  
abeſt, quo minus dicas, eadem opera dominium  
acquiſiſſe. Quod vel ipſe Grotius agnovit, &  
multo diſertius tradunt doctiſſimi ad eum com-  
mentatores.

X.

Nondum ſatis inſtruximus hanc penum. Ver-  
tendi ad ultimam originem oculi, & arceſſenda  
inde initia hujus cauſæ. Prima cura, ut oſten-  
damus à primordio uſq; conditi mundi omnia  
deſcripta eſſe in eos fines, quibus hodie domi-  
norum jura continentur pariter atq; diſtingvuntur.  
Aſſero enim nunquam fuiſſe hujusmodi hominum  
cum

cum hominibus societatem, quæ stetit sine proprii jure, quæ communia omnia cum omnibus habuisset, quæ denique domini limitibus disparata non fuisset. Est judicium rationis, omni tempore idem, nec fortasse diversum in vitæ melioris statu, si perseverassemus. Suum quemque habere sibi oportere, suum dico, quatenus proprii jure descriptum, quatenus habendi finibus descriptum. Approbant hoc instituta gentium, atque assensu excipiunt populi omnes, indignaturi, si inaudiant doctrinam primæ communionis. Et movit tamen pro ea stilum Grotius, atque offendit eo ipso intelligentiores, & nominis sui alioquin perstudiosos. Sed quicquid ejus sit, nulla ratione, nulla annalium fide, nec tandem ipsa Dei auctoritate hoc sustinetur. Nobis constituti domini fons multò altius fluit, id est, ex scaturigine præcepti divini. Gentium consensus inde accepit, non fecit, extulit, non produxit, verbo nil egit, quæ originem primam metimur: saltem approbavit, ac certe propagavit diffuditque à populo ad populum, ad cives quoque veteris ac novi Orbis, denique ad omnes, qui vitam humanam colunt.

## XI.

Evolvamus historiam antiquam, ac videamus de Adamo fatore humani generis, & Noacho instauratore collapsi. Uterque donationis divinæ titulo

tulo imperium terrarum Orbis nacti, suos cuique filiorum terminos posuere, agros, dominia atque familias discrevere, ut docerent exemplo, quid factum vellet Deus, quidve recta ratio monstraret. Assignata Abeli pascua, & delegata pecorum cura, & vindicatum adeo peculium à pastoralis cultu. Caino fundos curaret, injunctum. Præterea agrum subigeret, ac faceret sementem. Veteres eum aut Saturni profugi, aut Neptuni nomine designarunt. Sed de hoc minime angimur. Sufficit annotasse primævi exemplum proprii: Communionis certe nec vestigium occurrit. Verum hætenus terræ finibus contineri hoc proprii jus videbatur. Sed jam manifestius se prodit post prodigium illud eluvionis factæ Noachi ævo. Detectæ insulæ ac distributæ, terræ & maris pariter imperia distincta, nihil deniq; usquam relictum, quod non includeretur limitibus certis, quod non circumscriberetur terminis separatorum dominiorum. Semo cesit quicquid ab Euphrate ad Indiam usq; porrigitur. Chamo Africa, Japheto Europæ ditiones relictæ. Constat id ex monumentis sacris, constat ex consensu priscorum. Post illos ex recentioribus vid. doctissimus Johannes Strauchius in diss. de imp. maris cap. I. cui in hoc argumento plurimum debet vir, cum viveret, diligentissimus Georgius Hornius in Arca Noæ in primis p. 20. & 35.

XII. Sic

## XII.

Sic suis quæque spatiis terminata, & quantum ab ultima vetustatis memoria repetimus, iidem hominum, qui juris proprii, natales fuerunt. Duo hic scopuli, eoq; vitandi. Unus, ne uni omnia; alter, ne omnibus omnia tribuamus. Hunc, opinor, præternavigavimus secure: neq; majus ab illo periculum impendet, qui sciamus, repugnare juri universo imperium universe consideratum, sive terræ, sive maris respectu. Hispanis sæpe hic in turbido consilium fuit. Sed Dominicus Soto, Hispanus ipse in hac causa deseruit Hispanos, rationesq; attulit non spernendas, & suspectæ illi invisæq; gentibus dominationi refutandæ prorsus suffecturas. Jus divinum allegari non potest. Hoc definiuntur imperia & distinguuntur. Donatio Pontificis ne digna quidem est, ut referatur. Adeo inepta est & vanitatis plena. Rectè jam olim Caribes ad Ancisum Hispanum pronunciarunt, miram sibi videri Pontificis liberalitatem, qui, quod suum non esset, largiretur. Gasp. Ens l. 3. cap. 9. Hist. Occid. Eodem sane animo, quo jam diu ante Fridericus Ænobarbus anilem fabulam interpretatus Pontificis donationem est. Vid. Monachus Nussiensis Chron. A. 1153. Ut jam facile sit æstimare non dicam vanitatis, sed impiæ ambitionis exemplum ab Alexandro VI. proditum, eoq; Annalibus Bzovianis & Bulla-

B

rio,

rio, quod dicitur, Laertii Cherubini insertum. De  
jure naturæ nil addo. Satis quippe exploratum, in  
sanctissimo illius tribunali nil reperiri, quo fulcia-  
tur imperium universi orbis terrarum. Non homo,  
sed Deus est, qui regere omnes, qui tueri omnia  
possit. De gentium moribus scio, unam omnium  
sententiam fuisse, ut primævo proprii juris decreto  
res accommodarentur humanæ, ut suas quisq; for-  
tunas haberent, finibusq; discretis colerent morta-  
les: nemo ex alieno viveret, nedum ex rapto: suis  
singuli essent contenti, sua sibi retinerent. Qui la-  
tius, quàm par erat, proferrent se & ditiones suas,  
naturæ limites transcendere dicebantur. Jus Quiri-  
tium tantum abest, ut Romæ imperium ad omnes  
mundi regiones diffundat, ut quoq; certis termi-  
nis concludat. Non est, ut adducam exempla.  
Adduxerunt ante me præstantissimi viri, Arthurus  
Duck de auth. juris Rom. l. 2. cap. 1. post eum Ran-  
go, & alii multi. Eo conf. Conring. exercit. de Imp.  
Rom. Germ. prop. II. Strin. Nomothes. tit. 8. 2.

### XIII.

Sed longius ab instituto itinere discesimus.  
Redeamus ad mare. Afferamus porro imperium  
ejus, quatenus sic affecti, ut certis includi finibus, &  
tribui in diversas dominiorum partes possit. Atq;  
id indicio est, alienum hic esse imperium maris uni-  
versi, quod qui uni vindicaret, inventus est nemo,  
qui

qui saperet quidem, neque adeo imperu, sed ratio-  
ne uteretur.

#### XIV.

Sed rem per capita disponamus. I. Sancitur  
præcepto Dei jus proprii, sancitur autoritate pri-  
mi parentis, sancitur jussu Patriarchæ Noachi.  
II. Si itaque retro eas ad originem rerum,  
Deum habebis, unde ordiaris in hac causa. Is  
Adamum terræ marisque imperio donavit, ut jure  
proprii haberet, & filiis posterisque assignaret  
eodem proprii jure, atque adeo separatim & pro  
parte cuique debita habendum. III. Ex quo  
intelligas, jus proprii altius esse auspicandum, &  
quasi devocandum ex cælo. Multum ab hujus  
antiquitate recedit divisio, & sic quidem rece-  
dit, ut ad ultima illa secula non æque possit ex-  
tendi. Senior quippe est & longo post tempore  
orta demum, atque exulta. IV. Ingens hic &  
multis molesta disceptatio, utrum jure insito  
fulciatur primævum illud proprii jus? Si exqui-  
sita jubendi notione intelligatur, nil prohibet,  
cur negem. Hoc magis, si relinqvatur sibi, &  
secludatur à jure divinitus constituto. Est ta-  
men proprii jus naturæ & rationis judicio conve-  
nientissimum, eoque sine dubio aliis nominibus  
ad jus naturæ referendum. Præcipit quidem  
jus innatum, sed non semper, neque in præsens,

quatenus finibus suis æstimatur. Concedit tamen facultatem describendi in eos fines, quas proprii jus metitur. Svadet insuper exerceri, quod concedit. Præparat suadendi viam ratio naturalis ac efficaciter incitat, hortaturq; , ut proprii jus constituatur. Geritur illi mos atque obtemperatur. Incipit familia jure proprii uti. Prosequitur ordinem Civitas & servat. Perficit deniq; gentium societas & consummat. Hæc tamen mero naturæ jure res agitur. Conceditur proprii titulus & suadet, non præcipitur, non jubetur. Sed injectum illi libertati frænum, ac lex de constituendis proprii finibus, à Deo ut libero legislatore dicta, eoq; non præcepta innato jure. Hinc si fingas fuisse gentes, quæ jure proprii non essent usæ, directo non fecissent contra præcipiens jus naturæ. Saltem per latus petiissent, convulsissentq; ex obliquo, quatenus non obedivissent Deo, cujus obedientiam sanxit naturæ jus. V. Jam, puto, constat, quemadmodum discerni oporteat propositiones, quarum quædam rationis naturalis judicio componuntur, quædam jure insito præcipiuntur. Utræq; enim & dissimiles sunt maxime, & toto distant coelo. Est sane rationis naturalis, finiri terminis dominia, juris tamen naturalis præcipientis omnium minime est. VI. Regulæ quoq; officiorum homini erga homines præstandorum non pertinent ad

ad hoc argumentum. Vulgo, neque satis accurate, præcepta charitatis vocant. Illorum enim ratione sic quædam communia sunt, ut fieri possint propria. Sic jure amicitia atque titulo caritatis neminem arcebis, quo minus ignem ab igni tuo suscitet: neminem prohibebis, quo minus de aqua tua hauriat aquam, ac profluentis communem adeo habeat usum. Ex alio tamen capite, maximè quatenus imperii civilis id interest, constitui aliter, atque inveni contrarium potest. Quam sive mutationem, sive correctionem non recipit præcipiens naturæ jus, præsertim simplici dictato fundatum, & nulli adeo morum circumstantiæ innixum, quale est illud de colendo Deo, de vita honestè agenda, & de suo, quatenus suo, cuique tribuendo. VII. Trahit hæc quæstio quæstionem, oriturque dubitatio post dubitationem. Sunt, qui sciscitentur, an salvo proprii jure, quatenus id morum ambitum comprehenditur, constitui ad eam formam communio dominiorum potuerit, qualem ostendunt Grotiani admiratores. Primo prima dominiorum origo contemplanda. Deinde vita innocens à peccato infecta per exquisitè distingvenda. Tum secernenda capita ejus, quod expedit, & quod simpliciter fieri potest, quamvis si ita fiat, non æquè utiliter fiat. Hinc dictatum juris naturalis à judicio rationis naturalis accurate discernendum. Mox videndum, utrum rei natura patiatur usus jurisve proprii communio-

B 3 nem.

nem. Potest enim evenire usu, ut alius impediatur jure aliunde quæsito, quod alioqui aut per se licebat, aut in genere morum plane non poterat licere. His constitutis, facile rem decidunt, ac pronunciant adeo, non intendi à jure naturæ communionem, multo minus suaderi: nec tamen contrario præcepto sanciri illud omnium sermone celebratum proprii jus, eoque intelligi, nihil simpliciter obstitisse, quo minus proprii jus etiam durasset in communionem illam, quam fingunt, extitisse primæ. Sed fuisset ita commune jus, fuisset communis dominii, ut morum respectu liciti, usus, quatenus nemo alium impedivisset, Cajus ita sibi vindicasset, ut Titio idem reliquisset, uterque utrumque, omnes omnia ita communia habuissent, ut sibi idem, quod alius jus, nec majus, nec minus in res communioni obnoxias attribuissent. Atque id difficilimum corruptiori ævo, imo nec possibile quidem, quatenus id ex certa conditione pendet, atque non nisi hujus ratione mensuratur. Est sanè homo peccati infectus labe, vitiati affectus ac subinde degeneres, nec idem semper melioris judicii tenor. Sæpe caligo subit, ac bona volentes alio deflectit. Nullus paci, nullus tranquillitati locus relinqueretur. Semper querimoniæ, lites, bella alerentur ista communionem. Verum enim vero, quid prodest inquirere, quid fieri merito naturæ jure potuerit. Cogitemus, aut potius confirmemus, quid factum sit. XV. Ad.

## XV.

Adhuc navigamus in mari. Fortasse non esset enavigandi spes, nisi Deus & natura certos illi terminos præfixisset. Littoribus includi, etiam vulgo notum. Selectissima finium argumenta præbent mentores maris. Pingunt lineas, ac certè non pingunt, sed animadvertunt. Recitat ex natura artis Seldenus limitum illos ductus, & verba familiaria nautis, verasuras, coxas, gammata, acum nauticam, gradus cœli, circulos æquinoctialem, ac solstitiales illos, quibus designari mare, & comprehendere veluti limitibus potest. Ne dicam, castellis maritimis & classibus quasi compedibus vinciri mare, sicut longo gentium usu, ac ab ultimis usq; temporibus recepto, ita jure imperii maris.

## XVI.

Sed ut magnum est mare, ita, si attentius inspiciam, diversum, & jam interni, jam externi nomine appellatum. Utrumq; continetur imperii jure, & terminis circumscribitur suis. Alterum, quia terram interluit Principis, territorii finibus mensuratur: alterum quatenus possessore vacuū, cedit occupanti. Postquā occupatum est, imperii civilis jure descriptū censetur. Esto mare: accolat Princeps occupetq;ve. Erit Principis, quo occupavit, cōmoda, quæ ex eo redundant, ad Principē redundabunt, reditus fisco principali inferentur. Una de Oceano, sive externo illo mari restat difficultas, quoad usq; possit imperii finibus includi,  
imo

imo quoadusque debeat. Ac primo habemus pro certo, unum non sufficere occupando integri Oceani Imperio. Inde colligamus, vindicari id gentibus pro ea parte, qua accolunt mare. Nisi aut cesserint suo jure, aut non utendo habuerint pro derelicto. Atqui vero hic distingvenda sunt mediæ Oceani partes ab extremis, & quæ propius absunt à terra. Has vindicari imperio, interest imperii securitatis. De illis non peræquè timendum, nec fortasse adeas porrigendum imperium maris. Quod ratio cesset, propter quam in imperium redigantur. Nec periculum inde impendet, neq; emolumentum speratur.

#### XVII.

Imperii maritimi argumentum demissio velorum: onus, ut pro ea parte, qua possidetur, tutum præstetur mare, idq; tunc maxime, cum naves appellunt ad portus. Illustre ejus superiori anno exemplum. Redibat ex India Orientali classis Batavorum. Insidiabantur Angli, quærebant, ut interciperent. Inerrabant in mari præfecti maris Montaguus, Penus & Allenio. Unum classi in portu Bergensi perfrugium erat. Vid. descript. Belli Navalis Anglo Belg. A. 1669. Gallice edita. Quod spectat a plustria, moderabitur negotium Consul, qui sic appellatur. Multæ ex eo capite lites, & sæpe in cruenta prælia desinentes. Non ita pridem neglectus ille demissionis a plustrium in Batavam navem à Genuensibus vindicatus, & ut contemptus ratio à Consule reposceretur, ad Batavos perscriptum.



XVIII.

Quod de mari, idem de insulis fluminibusque  
judicamus. Obtineri utrorumque imperium, obti-  
neri dominium potest. Nec ratio hic deest, neque  
exempla rationi. Approbant id Reges, Principes,  
Respublicæ omnes.

XIX.

Duo hic maxime observanda, jus naturæ con-  
cedens, & potestas civilis. Illud non disponit, sed  
disponendi arbitrium relinquit. Facere & omit-  
tere, juxta habet: neque imperat, neque impedit.  
Hoc rerum statu exerit se imperium civile, ac pro-  
prij jus pro libitu definit. Integrum illi relinquare  
commune, quod concessione juris naturæ commu-  
ne est: integrum quoque, ascribere sibi. Ponere  
obicem potest, & remove. Cumque ita se ha-  
bet jus naturæ, relinquitur judicium rationi natu-  
rali. Hæc statuit, ut visum est ex publica utilitate.  
Inde regula ex prudentiæ capite approbata, omne  
id jure imperii posse vindicari, quod jure naturæ  
concedente commune est. Contra, quam dicen-  
dum foret, si jure præcipiente commune esset. Si  
enim ita esset, Principi non esset relictum, ut pro-  
prij jus libere definiret.

XX.

Ac de insulis id confirmant longe gravissimi  
autores, Johannes Gryphiander, Cyprianus Regne-  
ri, Seldenus, Styppmannus. Neque secius id de flumi-

C

nibus

nibus liquet. Asserunt in illa jus Principes, & habent. Causa à jurisdictione arcessitur, quæ si terra contineretur solum, ad flumina non posset diffundi. Quod Principes, idem liberæ Hanficæq; civitates vindicant sibi: De Patria mea testabitur diploma Karolinum, argumentum haud dubii juris in flumina competentis. Tueri Albim, arcere piratas, capere æque & punire infestantes flumen, ac purgare à prædonibus mare, vetustissimo privilegio concessum. Recitat illud Lambecius, & eadem opera jus in Albim declarat confirmatque. Vid. rer. Hamburg. lib. 2. n. 545. Quo conferas licet diplomata Friderici I. Imperatoris, & Comitis Adolphi III. apud eundem l. i. rer. Hamb. p. 83. & l. 2. p. 6.

XXI.

Unum superat. Percensendi sunt autores, quorum aut vestigia secuti sumus, aut sequi potuimus. Horum alii controvertunt, ut Seldenus, Grotius, Boxhornius, Graswinckelius, Jul. Pacius. Alii disserunt, ut Jacobus Godofredi, Joh. Strauchius, Loccenius, Morilottus, Stypmannus, Martinus Schoockius. Neque omittendus vir in hoc argumento vindicando egregius Diana. Ut non referam de Thoma Rivio Joh. Isaac. Pantano, aliis multis, præsertim iis, qui aut explicare, aut vindicare, aut forte etiam refutare Gronium sunt aggressi.

XXII.



## XXII.

Pervenio ad finem, & eadem opera ad pietatem. Convertor ad Imperium Romanum, matrem atque sedem nostræ gentis. Nil illi hæctenus deest, nisi potentia maris, atque usus navigiorum. Galli, Angli, Batavi certatim incumbunt in hanc curam. Asciscunt peritos maris, ædificant classes, & ducunt in mare. Sola Germania nostra hanc gloriam non affectat, sive fato quodam, sive iniquiori loco. Nec heri demum aut nudius tertius illa prudentium querela fuit. Nunquam Carolus M. penetravit ad ultimum usque Septentrionem. Nec idcirco caruerunt Successores. Ottonis M. victoriæ raro ad mare progressæ: Cursus ille trophæorum intra terræ ac littorum fines stetit. Hæc & talia cum ita sint, intelligis mea Germania, tu illa gentium victrix, quantum inter sit tuæ dignitatis, florere Hansicas civitates, crescere atque exurgere indies illarum ocellum, civitatem Hamburgensem, patriam dulcissimam, & commerciis maritimis jam olim summum decus adeptam.

## XXIII.

Adeo verum est & diuturno gentium consensu creditum hæctenus, præcipuam potentiæ palmam in mari, insulis, fluminibus sitam esse. Non ex vano olim censuit Pompejus, rerum potiri, qui mare teneat. Henrico II. Regi Angliæ tot nata à mari opes, tantæ classibus comparatæ vires sunt, ut ferme

C 2

affir.

affirmaret, sociasse se Angliam & imperium Orbis.  
Vox gloriosa nimis, & fortasse supra ipsos fines mor-  
talitatis. Cui adhæreo, præest. De Carthagine Dio-  
dorus Siculus, de Athenis Isocrates, de cæteris Stra-  
bo, Halicarnasseus, Cornelius Nepos testabuntur.  
Nemini id magis cognitum perspectumq; fuit, quam  
Karolo V. invictissimo quondam imperatori. Is post-  
quam fortunam Hispanorum altius expenderat, Phi-  
lippum monuit, potentia maris fulciret Hispanorum  
opes augetq;. Ni faceret, amissurum quoq; illa,  
quæ tradita ab se accepisset. Fidem dicto faciet Scri-  
banius, vir prudens, & hanc viam non sine laudis  
vestigio emensus. Supervacuum de aliis refere. Pas-  
sim obvia Campanellæ & similium consilia,

XXIV.

Nil suppetit, quod addamus. Si non omnia  
diximus, certe æstimavimus, quid posset dici. Reliqua  
publice nota sunt, ac gentium legibus assert. De Italia auctor  
Capolla est, insulas flumina, ripas jure imperii contineri.  
De Gallis Hispanisq; idem exploratissimum est. Lusitani,  
Dani, Svedi, Poloni, Moschi, Veneti, Genuenses, Batavi  
veteres illi ac recentes iisdem finibus fluvios suos insulas-  
que metiuntur. Quod de Imperio Romano recitat Sel-  
denus, non hausit ex intimiori Reipublicæ Germanicæ statu,  
l. l. cap. XXI. mar. Claus. Derogat fere Ordinum Privile-  
giis, derogat territoriorum potestati. Sunt sua Cæsari jura,  
sed iis limitibus includenda, quos præfigunt imperii leges,  
Ad verustissimas illas Græcorum Respublicas redire, nec  
tempori, nec destinatis nostris opportunum. Speculi vice  
fungetur Seldenus. His addere licet Jul. Pacii, Jac. Go-  
dofredi, Martini Schoockii dissertationes.

☉ (o) ☉

56

60 A

ULB Halle 3  
002 635 348  








B.I.G.

Farbkarte #13

V.

SER-

S,

DE

SAMUELE

LEISCH,

VASMERO,

NSE,

Majori,

tii.

Æ,

ODTERI, Acad. Typ.

XCV.

*M. 27*  
*46.*

*M*

*18*

*1695*

*12*

*0.*

*2 1/2*